






4456

GIMELIA


Stephanus
Rex Poloniarum


Videci etn. Patricii: Ad Stephanum
Regem Gratulatio. 1579.


PANEG. et VITAE

Polon. 4^o

N. 941.







ANDR.
PATRICII NIDE-
CI PRÆPOSITI VARSOVIEN. *Canonici Crac. Wł.*
AD STEPHANVM REGEM
POLONIARVM IN-
CLYTVM.

Gratulatio

*Habita totius cleri Varsoviensis no-
mine ob victoriam Polocensem
de Mosconitis.*



Cim. Gp. 4456

CRACOVIAE
In officina Lazari: Anno Domini,
M. D. LXXIX.

Poloniæ Regi, Magno Du-
ci Lituaniæ, &c.

Andreas Tricesius. de quo Eng. J. Jv. Bener.
Solihaygi in fine figis. Augusti Regis Coloniæ abt.
Andreas Patib. Nidecjarin. Tullius eloquentia excellens,

Cim. 4456

ANDR:
PATRICII NIDECI
PRÆPOSITI VARSOVIE N.
AD STEPHANVM REGEM
POLONIARVM IN-
CLYTVM

Oratio de victoria Po-
locensi:



QUOD ASSIDVE PER HANC
Maiestatis tuæ absentiam, Serenissime
REX, votis omnibus à DEO immortalī
precati sumus, ut is te, per tot variorum
belli casuum atq; euentuum discrimina,
scuto diuini sui præsidij tectum ac munitum esse vellet,
atq; adeò ut salutarem præsentis sui numinis umbram
adduceret super caput tuum in die belli, & deniq; ut be-
nè gesta Republi: sospitem te nobis atq; incolamem primo
quoq; tempore repræsentaret; id quoniam hodierno die,
quo te ex bello illo reducem, bene firmum & valentem
conspicimus, per gratiam eius singularem sumus conse-
cuti, magnas, ut debemus, diuino eius numini agimus
atq; habemus gratias. Te autem uti victorem regem de-

cet, animis nostris letissimis excipimus, & summa cum
nostra summissione salutamus. Ades rex magnani-
me, victor ac triumphator. Qui deterfa superiorum tem-
porum nostrorum infamia, multis hostium nostrorum mil-
libus profligatis, plerisq; arcibus nostris de manibus eo-
rum recuperatis & receptis, prouincia deniq; illorum v-
niuersa partim vastata ac direpta, partim metu & tre-
pidatione concussa, postremò inimicis omnibus vel ca-
ptis, vel cæsis, vel procul à finibus imperij nostri sum-
motis, vel certè miserandum in modum, cum duce ipso
perculsis et consternatis, atq; in abditissimos ditionum su-
arum recessus compulsis, rempub: recreas, & triumphum
deportas, non magis fortitudinis, ex deuictis hostibus,
quàm clementiæ tuæ, ex receptis in fidem supplicibus, lau-
de insignem, & omninò magnitudine simul ac celeritate
victoriæ perillustrem. Venisti, vidisti, vicisti. Sed quo-
niam ea laus aliorum quoq; ante te fuit, illa mihi tua pro-
pria, quam tu omnibus aliorum quot sunt fuerunt uic, vi-
ctorijs & triumphis meritò debes anteferre, illa mihi, in-
quam, laus tua propria prætereunda hoc loco non vi-
detur. Pepercisti. Et quidem pepercisti omnibus, nisi qui
sibi ipsi non pepercerunt, & qui à Marte quasi ipso ad
necem pignerari voluerunt. Egredimini igitur Sacer-
dotes mei egredimini, & videte regem vestrum, regem
triplici veluti diademate redimitum; antea quidem re-
gis ac principis, à ciuibus nostris capiti eius imposito, nunc
autem et imperatoris ac victoris, ab hostibus, et pij ac cle-
mentis, à supplicibus ipsis attributo. Ut ita in vno eodemq;
homine

homine simul intueri possitis, & vestrum regem, & hostium domitorem, & supplicum receptorem. Egredimini, egredimini, & quod dico, videte quæso. Sed quid prodistis videre? hominemne mollibus vestitum & molli-ter educatum? sanè qui eiusmodi sunt, in gynecæis sunt, in umbra sunt & in pluma, non sunt, quod dicitur, in pulvere & sole, vel potius non sunt in pluvia & cæno, in quibus per id belli tempus, noster hic fuit. Sed quid prodistis videre? heroemne ex veteribus illis aliquem? Etiam dico vobis plusquam heroem; quod heroes quidem prisca illi aut cum hominibus aut cum beluis meris dimicarunt, noster autem de Moscho, de Moscho homine illo quidem, si speciem videas, sed morum planè ac studiorum beluinarum homine, reuera autem de belua in hominis figura delitescente, victoriam insignem reportauit. Tu, tu inquam, rex fortissime, victoriam hanc de hoc homine, vel potius de hac belua infestissima reportasti, tu cum hoste non magis imperij tui quam totius orbis Christiani atq; adeò humanitatis ipsius depugnasti, tu cum homine fero & immani dimicasti, tu non cum homine sed cum fera, non cum fera, sed cum monstro ac portento naturæ conflixisti. Tu fortem illum armatum, qui omnia nobis erepta in pace iam possidere videbatur, fortior ipse armatus deuicisti; tu arma eius & tormenta quibus potissimum confidebat, ipsi ademisti; tu ei spolia quasi opima detraxisti; tu prædam eius distribuisti. Tu rex benignissime, amissa nostra recuperauisti, tu hostium gladios & acinaces à iugulis nostris, tu tela &


*Sagittas à pectoribus depulisti. Tu religionem postremò
nostram Catholicam à Schismaticis illis gentibus vindi-
casti; hisq; adeò præclaris factis tuis nomen tuum im-
mortalitati consecrasti. Meritò igitur cùm aliàs v-
biq; per uniuersum hoc celebre iter tuum, Respub: ipsa
in occursum se tuum gratulabunda effundebat, tum hic
quoq; in hoc augusto templo nostro, ipsæ etiam hæ aræ
diuinæ, quas coràm contueris, ipsa hæc archa sanctissi-
mi fæderis, qua cæleste illud manna verissimi corporis
& sanguinis Iesu Christi Dei nostri continetur, hæc in-
quam delubra & simulachra omnia, religionis plenissi-
ma, defensa per te & ad eum, quem dixi, modum vin-
dicata, aduentum hunc tuum magnoperè gratulantur.*


*✱ Et quoniam ex assidujs pro te votis ac supplicijs nostris,
quæ hic interim pro salute & victoria tua facere sole-
bamus, nomen etiam ipsum tuum resonare penè didice-
runt, te Stephane rex, te Stephane rex nominatim salu-
tant; & quam tibi modo, semel atq; iterum celebrem ex
hostibus victoriam fauerunt, eam etiam perpetuam fo-
re spondent atq; pollicentur. Abs te tantum rogant, ut
sicut eas modò à schismaticis externis hostibus, virtute
tua defendisti, ita deinceps quoq; à domesticis istis hosti-
bus hæreticis, auctoritate tua regia tueare; eamq; gra-
tiam Deo tuo referas, tuo inquam Deo, ô rex, & tibi
maximè propitio hanc unicam gratiam referas, ut qui
tibi semper in tuis prælijs suo numine præstò fuit, quiq; te
paulò ante regem, nunc etiam victorem fecit, ac nominis
tui famam per omnem terrarum orbem propagauit, is in
hoc tuo*


4
hoc tuo splendidissimo regno, *ut* in hac tua maximè memorabili victoria, gloriosus unà tecum de suis quoq; perduellibus triumphator incipiat aliquando apparere. Memineris ô rex, praelia te modò aliquot cum barbara ista & immani Moschouitarum gente confecisse; bellum ipsum integrum tibi prorsus restare, & affectum videlicet tantum nondum etiam confectum esse. Memineris, hostem ipsum, qui nunc tuis istis recentibus praelijs fractus, videtur quodammodo hastam atq; arcum abiecisse, paulò post ubi se recollegerit, multo quàm antea exacerbatiorem futurum esse. Memineris, ad eum opprimendum, Dei tibi Opti: & Max: praesidio in primis nitendum esse. Hic est enim solus, quod scis, qui dat vindictas tibi, hic est qui subdit populos sub te, liberator tuus de inimicis tuis iracundia inflammatis. Vide igitur, per hunc ipsum immortalem Deum ac liberatorem tuum, ne quando irascatur hic dominus, nevé ob suam neglectam religionem catholicam in hoc regno tuo, atq; adeò in hac ipsa urbe tua, domicilio nostro, & quod primo dicendum erat, domicilio Serenissimæ coniugis tuæ reginæ nostræ. Vide quæso, ne cogatur propterea cursum ipsum victoriarum tuarum, quas tibi aliqui iam despondit, siue omnino interpellare, quod absit, siue etiam, quod tamen ipsum minimè profectò vellemus, remorari. Hic est enim idem, qui (horresco referens) confringit in die iræ suæ reges. Ac proinde ita te iam nunc compara, ut quo te ille magis amat, & quo magis caput tuum regium omnibus apertissimis gratiæ suæ signific-


gnificationibus tueri se ac ornare palam ostendit, hoc magis quoq; tua, tantis ipsius erga te beneficijs debita pietas, quæ est potissimum in cultu eius catholico conservando constituta, etiam atq; etiam erga eum elucescat. Id si facis, domine mi, quod te quidem pro tua pietate facturum esse omnino confidimus; si inquam ipsius quoq; tui domini, prælia præliari incipis, ne nos, qui sumus indigni Sacerdotes domini, non dubitamus nunc iam iisdem illis verbis affari te, boni ominis causa, quibus verbis, in re propè eadem, affatus est olim angelus domini Gedeona imperatorem nihilo te superiorem. Dominus tecum virorum fortissime, dominus tecum. Perge, perge, in hoc invicto animi tui robore. Nec quicquam dubita. Liberabis enim virorum fortissime, liberabis Israel de manu Madian. Dominus tecum, dominus tecum virorum fortissime; Et iterum atq; iterum dominus tecum.











Biblioteka Jagiellońska



stdr0035011

